17

ECPHRASIS CIRCA VERVM ARGENTI VIVI TEMPERAMENTVM.

DOCTISSIMO, ET NOBILISSIMO viro Gasparo Vallejo Alderete Licentiato in jure Pontifitio & Casareo, Regio Consiliario in Eliberritano Conventu, sanctiq; Offic I Consultori, Doctor Joannes de Sosa, Sotomayor, Luzero D.

CVM LICENTIA.
Hispali apud Clementem Hidalgo.

HISPALI HODIE, VIR clarissime, vivo, & audeo dicere, vivo (tametsi à te, à tua benevolentia, & humanitate longo inter vallo, disjunctus) Medicæ facultati meam, quantulamcunq; operam, seriò impēdo; hîc vires omnes, artusq; libro, nec curo, quid Cotta aliquis, aut Carus moliantur in aula. Studia semper mihi in corde, in visceribus, in animo, sunt: libri, dum vacat, in manibus, in sinu; mortalium generis salus, & cōmodum me movet, incitat, impellit. Quid ni? an cum ignavo fucorum pecore, à sedularum apum alvearibus iners & inutilis excludi patiar? patiar in illorū albo reponi, qui vere cum Lyrico clamant? Nos numerus sumus, & fruges cōsumere nati? non patiar ædepol, nō ferā. Saluti ergo hominum, quantum potuero, prospiciam. Tanto operi, dum vita, diligenter incumbam; & perpetem usq; ad extremum diem laborem impertiar. Sed hoc parum est, nisi in mortem quæramus antidotum, & post eamdem, etiam Persephone renitente, superstites viuamus, ut posteri per nos viuant. Ista mente aliquid scriptis mandare, & sedulam studijs operam navare posteris decerno. En decretum, vir clarissime, en laborum primitias, en primum illorum fœtum, en libellum non sine vigilijs & elucubrationibus confectum, ad te defero, & ambabus (quod Græci ajunt) manibus tibi offero. Splendor, sapientia, virtusq; tua me impulerunt, & presertim comitas, benignitas, & humanitas, quas sæpe expertus, sæpe miratus sum, sæpe miror: idcirco monumentum hoc in omnium oculis constituo, quod tametsi ęternum ex se non erit, tamen jam, præsentio tua protectione futurum. Vale.

DIEBVS anteactis (nobilissime vir) dubitabamus, quod nobis incidit in quæstionem, An scilicet, argentum vivum calidum, aut frigidum esset. Et, si unctio ex eo constans capiti esset admovenda pro lue Gallica, seu Venerea profliganda. Quæ duo, nutu Dei, ac Deiparę Virginis Mariæ, tum rationibus, tum autorum testimonijs & argumentis elucidabo. Ad rem igitur deveniendo, Argentum vivum dictum est, quasi continuo moveatur, & vivum veluti videatur. Aristoteles Argentum liquidum, fluidum, & fusum vocat. Dioscorides, & Græcorum plerique, hydrargyron, hoc est, Argentum aquosum vocat, quibus tamen duobus vocabulis Plinius abusus est in eorum explicatione. Argentum itaq; vivum metallum est liquidum, & aquę modo fluidum, mobile, colore argenteo, sed livescente parum. Qui de eo scripserunt, duo ejus genera constituerunt; nativum unum, & purum, quod in venis fodinarum argenti invenitur, factitium alterũ, quod ex nimio excoquitur, quod solum à Galeno fuit cognitum. Dioscorides utriusq; meminit lib. 5. cap. 84. At controversia hæc facile potest tolli modo intelligamus Plinium illud, quod nativum, sive fossile esse diximus, argentum vivum; quod vero ex nimio excoquitur, hydrargyrum appellare; utraq; species pestilẽtem exhalat odorem, auramq; plane exitialem. Galenus, qui tantum factitium cognovit, ut supra diximus, per hæc verba se explicat; Hydrargyrus non est ex sponte nascentibus medicamentis, sed ex ijs, quę præparantur veluti psimythium, ærugo, psoricum, lithargyros, nullum autem ejus feci periculum, neq; quòd interimat, si devoretur, neq; ubi foris admota sit. Non est mirum, si hydrargyrum appellet Galenus, quemadmodum Plinius

nius, quem secutus est, qui solo factitio id nomen tribuendum voluit. Vitruvius quoq; Dioscoride, & Plinio antiquior, libr. 7. argenti vivi mentionem faciens (nec hydrargyrum nominat) solius nativi meminit. Augusti etiam ætate argẽtum viuum, natiuum tantummodo dicebatur, in qua re Falopium virum doctissimum, & alios hallucinatos esse, cuicumq; Vitruvium non oscitanter legenti, perspectum esse potest. Quomodo autem verba Theophrasti (ex quibus multa accepit Plinius, & ex quibus factitiũ etiã, argyron chytõ, sive, argyrochytõ, vnica voce ab ipso vocatũ videtur) sint intepretanda, manifestum jam. Et, ne Græcizando multum temporis spatium consumamus, videndus est super hoc Hieronymus Mercurialis variarum lectionũ, lib. 2. cap. 14. ipse autem hujus rei verus est interpres, ʃ. id est, & postea ʃ. fit vero, quod infra subsidet Cinnabaris, quod autem supra natat, lotura est. Olerius quoq; quinque hydrargyri species enumerat, lib. de institutione Chirurgiæ, fol. 113. Sed eligendum suadet purum, splendidum, albicans, bene depuratum plumbo. Sic etiam suadet Ioannes Duboys gravissimus pharmacopola Parisiensis, sectione 2. capit. 10. ad finem dicens; Accipe alutam fortem, & satis amplam, pro quantitate argenti viui, & in ea argentum viuum include, & alutam optime ligatam manu stringe, & comprime in aliquo vase, statim videbis argentum vivum ab aluta exire; & plumbum, si adsit, remanere in aluta. Et suspicor ne caustici naturam referat, ut Olerius dixit. At vero in præsenti non agimus de argento vivo factitio, sed de fossili naturali, simplici in sua minera existẽti, quod est in sua altitudine frigidum, & humidum, ut ait Aristoteles de perfecto magisterio, apud theatrum chemicum,

 & ut

& ut conſtat ex Auſonio poëta hís cārminibus:

Toxica Zelotypo dedit uxor Mœcha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum,
Miſcuit argenti lethalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc ſi quis, faciunt diſcreta venenum
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Ergo inter ſe ſe dum noxia pocula certant,
Ceſſit lethalis noxa ſalutiferæ.
Protinus & vacuos alvi petiere receſſus
Lubrica dejectis qua via nota cibis.
Quam pia cura Deum! prodeſt crudelior uxor,
Et cum fata volunt, bina venena juvant.

Ex quibus manifeſte conſtat, argentum viuum ex natura ſua frigidum eſſe, & humidum; nam toxico, quod ſumme eſt calidum, repugnare viſum eſt. Toxicum enim Latine, Grçce autem toxicon. Venenum, quo ſagittæ tinguuntur, quod ab arbore Taxo, duxiſſe nomen videtur, Grçce, taxos cæ smilax, arbor, tota facultatis vi, venenoſa, ab ejus etiam nomine toxicon refert appellationem, qui de ea arbore guſtauerunt, celerrime nocte corripiuntur, quando & umbra lethalis, in Pyreneis Galliæ montibus frequens, locorumq; incolis Ipheam & Iph. Dioſcorides lib. 4. cap. 68. lib. 6. cap. 12. unde toxicum venenum eſt præſentaneū, quod ſine dilatione operatur. Et faceret adultera mulier, ut ſuus maritus cito periret, niſi miſcuiſſet venenum frigidum (etiam ſi quantitate operetur) calido toxico. Liber tandē evaſit, quia contraria contrarijs curantur. Vide Galenum 5. ſimplicium, cap. 19. At ſunt, quæ tota eſſen-

eſſentia nobis contraria ſunt, & tertio ſimplicium, cap. 19. §. quęcunquę autem frigiditate occidunt, ea exigua quantitate ſumta mortem non afferent; Vide etiam Iacobum Greuinum, lib. 2. cap. 7. de toxico, à folio 183. ad folium 184. §.toxicum,ubi ait,eſſe de natura eorum, quę tota ſua ſubſtantia, humanæ vitę inſidiantur, pręter quam quod occultam quandam, & maleficam vim habet caliditatis, & ſiccitatis extremæ particeps eſt.

Quod autem argentum viuum ſit frigidum, & humidum, ſic probo; Materia metallorum eſt argentum viuum, quod ſe habet tanquam mater, ſulphur vero tantum inductiuum formæ, ut profitentnr Paracelſitæ ex Iſaaco Holando, qui omnia cõficit ex tribus in creatione, addũt ſalem, licet ipſe Paracelſus interdum ex aqua conſtituat, eſt tamen aliquid diſcriminis, nam Mercurius juxta eorum opinionem, ita materia eſt, ut magis patiatur, ſulphur ut magis agat, & addẽſſetcorpus, quod ſolidum præbeat, & formalem videatur conferre rationẽ, & proprietates, præterea Coarcetanus ſolum Mercurium poſuit materiã, ſulphur addi docuit, quod vim habet introducendi formam. Metallum quodcumque eſt frigidum, & ſiccum, ſed argentum viuum eſt frigidum, & humidum: ergo metallum habet frigidum à materia, quæ eſt argentum, ſiccitatem autem à ſulphure, quod potens fuit conſumere humiditatem argenti viui, ut poſsit introducere formã metalli, quod eſt frigidum & ſiccum: ergo bene ſequitur, exemto ſulphure, remanere frigidum, & humidum tanquam materia nuda metallorum. Videndus eſt Petrus Bercorius Pictauiẽſis, tomo.4. moralium, lib. 11. cap.29. dicens; Argentum viuum, calidum, & humidum eſſe, habens enim ſulphur: ego autem de ſimplici intelligo (de quo non intelle-

tellexit iste autor) tanquam metallorum materia nuda, non de cõposito, & si permixtum plumbo sulphur depurari licet, ut advertit Ioannes de Vboys, citato cap. Mathiolus super dioscoridem, libr. 5. cap. 70. fol. 674. §. res est sane admodum disposita ad metallorum omnium generationem; quam ob rem ipsorum tum origo, tum semen argentum vivum appellatum est. Quinetiã non addensari putant, quòd ei non insit caliditas, & siccitas tanta, quanta ad id muneris obeundum sufficiat.

Secundo probatur; Argentum vivum vim Narcoticam habet, cum quoscunque tumores leniat, & mitiget; &, ob hanc etiam rationem, ulceribus malignis opitulatur, bilisq; ardorem retundit, cum vehemẽter humidum sit, ut tenet Fernelius, libr. 2. de abditis rerum causis, cap. 14. fol. 211. & de lue Venerea, cap. 7. post medium, folio 60. §. dolores quoscumque, tum calidos, tum frigidos vi narcotica sistit.

Tertio probatur; Argentum vivum aliud est vulgare, aliud philosophorum; vulgare sic potest cognosci, quia non detinetur in igne (nisi conjunctum fuerit alio argento vivo corporeo, seu factitio, quod est calidum, & siccum) ob nimiam sui frigiditatem, & humiditatem, ita ut indigeat conjunctione argenti vivi factitij, ut clarius manifestat annulus argento vivo plenus, quem si ad ignem applicemus, illico ut calefieri incipit, nõ potest supra mensam retineri, cujus causa est manifesta cõ trarietas, & repugnantia, quæ est inter frigidum, & humidum, & calidum, & siccum.

Quarto probatur; Nam argẽtum vivum habet se passive, sicut fæmella, ut tenet Raimundus Lulius, in clavicula, cap. 1. ad finem.

Quinto probatur; Quælibet res gravis frigida est magis

gis, & ponderosa, argentum vivum est grave, & ponderosum: ergo est frigidum. Ratio tenet verum, facta comparatione humorum calidorum, & frigidorum, frigidi graves sunt, secus vero calidi; frigidi, ut pituita, & melancholia, calidi vero ut sanguis, & bilis.

Sexto probatur; Quęlibet res alba insipida, est diaphana, & frigida, tale est argentum vivum. Hæc ratio est vera, quoniam inter olera & fructus, qui sunt insipidi, frigidi sunt; semperviva, portulaca, lactuca, & alię multæ, quę sunt frigidæ, & aquosæ, sunt insipidæ.

Septimo probatur; Hydrargyron, quod Græci vocant, diciiur à quodam Græco nomine, hydoor, quod est aqua: ergo, si vera est Aristotelis maxima; orta attestari suis principijs, sicut aqua frigida, & humida est, sic argentum vivum.

Octavo probatur ab effectu; Fossores, qui argentum vivum simplex, & vulgare ex fodinis eximunt, frigiditate maxima, & humiditate affecti sunt, ratione cujus paralysi corripiuntur; paralysis provenit à causa frigida & humida, & hac ratione nervi corripiuntur tremore: id probatur ab Hippocrate 5. aphorismo 18. Frigida inimica ossibus, nervis, dentibus, & spinali medullæ, calida vero grata, ea de causa facit convulsionem, rigorem, & alia multa damna, ut multoties contingit in unctis unctione argēto vivo permixta, pręcipue si facultas animalis ex sua natura languida est, ac imbecillis. N.

Nono probatur; Quidquid repercutit humores ab exterioribus ad interiora, frigidum est, ut probat Galenus, 5. simplicium, cap. 17. loquens de repercussivis; argentum vivum est hujusmodi, ergo est frigidum, ut frequenter videmus in ijs, qui expuunt ob hydrargyricam unctionem.

Si quis objiciat (ut Constantinus facit) non esse necessarium, illa, quæ sunt ponderosa, frigida esse, calx enim marchasita, sal, alumen, argentum vivum sublimatum, hęc omnia gravia sunt, & non sunt frigida: ergo aliqua eorum sunt caustica, nec bene sequitur, levia esse calida; camphora enim levis est, & non est calida, sed frigida (loquor de camphora antiquorum, non de illa sophistica, quę passim reperitur in pharmacopolio.) Ad secundam rationem dicunt, non esse opus, omnibus rebus habentibus colorem album inesse frigiditatem, quia argẽtum vivum sublimatum, calx, alumen ustum, & alia multa alba sunt calida, nõ tamen frigida. Quod considerans Averroes dixit, colorem album reperiri posse in rebus frigidis sicut in nive, grandine, glacie, & gelu; & in calidis ut in argento vivo sublimato, calce, alumine. Ij doctores quanquam primæ rationi optime respondent, non tamen secundæ. Nos non dicimus, argentum vivum esse frigidum, quia album, nec illa, quæ sunt alba, aquosa, insipida, necessario debere esse frigida, ut dixit Galenus, lib. 2. de alimẽtorum facultatibus; illa dicuntur insipida, quæ gustum non alterant calore, frigiditate, humiditate, aut siccitate: & cum argentum vivum insipidum sit, & natura aqueum, ea ratio convincit doctores de necessitate esse frigidum; sed tamen humiditas argenti vivi est crassa bene permixta siccitate, & ea de causa fluidum non est sicut aqua, imò servat terminum. Hoc ipsum bene notavit Iacobus Casaneus, in suo tractatu de morbo Gallico. Concludamus igitur, quod argentum vivum, seu Mercurius est albus, frigidus, & ponderosus. Sed antequam ulterius progrediamur, responsum contrariæ sententiæ opinionibus præbere debemus. Sicq; uno verbo omnibus respõdemus;

ut re-

(ut refert theatrũ Chemichũ in Argyropœię, & Chrysopœię, fol. 22.) est duplex, alterũ proprium, ac verum seu minerale, hoc est frigidum, & humidum, ac tenuissimum. Ex hoc apparet, quod corio involutum, & expressum, vehementer transiret corio illæso, quod oleum quanvis tenuissimum in essentia, transmeare non posset. Argentum vivum eamdem fere gravitatẽ cum auro habet, sexta enim tantum parte, auro minus grave esse, etiam experientia constat, quanvis Geber præclarus alchimistarum philosophus, ac Arabs, qui nostræ sententiæ suffragatur, lib. 1. de summa præfationis magisterij, cap. 3. dicens; argẽtum vivum frigidum, & humidum esse, tamen ipsum profitetur auro esse gravius, sed forsitan de argento vivo purgato, & paulum ab humiditate nimia arte vindicato, intellexit.

Aduertendum tamẽ est, quod sicut metallorum materia est argentum vivum, ut diximus, eodẽ modo proximã materiam esse auro, & argento: sed uno verbo dicamus Argentum, & aurum crudum esse. nõ solum est illud vulgare, quod fossile dicitur, argentum vivum, quod ex fodinis Hispanię nostrę (ut Almaden) fossores excipiunt, verum etiã illud, quod ex corporibus imperfecte mixtis plumbo, stanno, ære, ferro, subtili arte elicitur, inter quæ omnia vulgari huic nostro nulla, nisi in solis accidentibus quibusdam differentia inest. Fluida enim fere sunt, & ejusdem proportionis, ac gravitatis. Verum argentum vivum corporeum magis est coctum vulgari, cum etiã inter se aliud alio magis ac minus digestum est, omnia tamen vi ignis in vaporem feruntur sursum, alia celerius, quia minus cocta, alia tardius, maxima vi ignis, quia magis decocta sunt; proinde vulgare argentum vivum indefinitã habet humiditatem om-

nium celerrime infimum vi ignis abijt, cujus rationem aſsignat Ioannes Geminianus ordinis Prædicatorum in ſumma de exemplis, & rerum ſimilitudinibus, lib.2. de metallis.& lapidibus, cap. 35. quantum ſit ſuperbiæ vitium deteſtabile, fol.107.§.4. quia argentum viuum eſt cito euaporabile, cujus fumus multum nocet aſtātibus, eo quod paralyſim, & tremorem inducit relaxādo neruos,& remolliendo. Vnde infert iſte autor ſimilitudinem ad hominem ſuperbum,qui cito vaporat per iram, & impacientiā. Quod idem tenet Gaſtonis Clauei Apologia Chryſopœię, & Argyropœię, fol.20. Eſt etiā quoq; factitium,quod argētum viuum ſublimatum vulgo (quod fatemur eſſe calidiſsimum, multis in locis) ignis mortuus nuncupatur; hinc eſt, quod effectus naturalis argenti viui prouenit ab humiditate ſumma, & frigiditate,aliàs in puluerem conuerteretur argentum viuum, ſi caliditatis, ſiccitatiſq; eſſe participem vi ignis aſſeueramus, ſed in fumū euaneſcit, ut in ligno viridi contingit. His rebus ſuperioribus intellectis, facile erit, reſpondere illis,qui defendunt, eſſe calidum; ſed ſi per argentum viuum intelligunt minerale, quod eſt tanquam anima malagmatis Gallici,quo inungimus lue Venerea laborantes, illud nō eſt calidum, ſed frigidum. Sed ne per ignota procedamus, afferam (togatorum præſtantiſsime) duas argēti viui definitiones; Prima eſt Alberti Magni, lib. de mineralibus,quæ ſic habet. Argentum viuum eſt ſubſtātia aquea mixta terreo ſubtili, mixtione forti; Altera eſt Geueris,quam veriſsimam tenemus eſſe, quæ talis eſt. Argentum viuum, quod Mercurius appellatur, antiquorum uſu eſt aqua viſcoſa in viſceribus terrę, ſubſtantiæ ſubtilis, albæ, terreæ, per calorem temperatiſsimum unita totali unione per minima, quouſq;

usq; humidum temperetur à sicco, & siccum ab humido æqualiter, ideo fugit superficiem planam de facili, propter suę aquæ humiditatem, & non adhęret, etsi viscosam habeat humiditatē propter siccitatem ipsius, quę illud contemperat, & non adherere permittit. Quādo dicit in definitione, est aqua viscosa, non est intelligendum, quod aqua sola incrassescat, & viscosa fiat, ut arguit Cōciliator contra Geuerem. nā aqua minime inspissatur sola manens, cum incrassatio, & inspissatio, nil aliud sit, nisi admixtio partium terrestrium, vel aerearum cum aqueis.

Potest contra tēperamentum frigidum, & humidum argenti viui quis insurgere hoc, vel simili argumento; Quod est causa caliditatis, calidū est, argentum viuum inducit calidos effectus, ergo calidum est: consequentia patet, quia penetrabile est, & mollificat, & dissoluit, hi enim sunt caloris effectus, ut unicuique patet; igitur

Secundo sic: Cui definitio calidi competit, id calidum dicitur, sed argento viuo competit definitio calidi: ergo calidum est. Maior, & consequentia patēt exēplificando, homo est animal rationale, conuertitur animal rationale est homo, calidum est, quod eterogenea segregat, & homogenea cōgregat, ut 2. de generatione est videre. Argentum viuum id ipsum facit, ut patet experientia in doloribus Gallicis, à soluta continuitate, causa humoris crassi imbibiti in musculis, neruis, ligamētis, & similibus: ut curātes homines Gallica lue affectos cum unctione admixta aagento viuo, cujus causa scirros Gallicos, seu durities, ac gummositates dissoluit, quæ quidem discontinuę, congregantur.

Sed si objicias, id non euenire facultate argenti viui, sed aliorum simplicium subingredientium, contra hanc

responsionem stat experientia; ablato argento viuo, nil valent admixta, aut saltem per multum tẽporis spatium. Sed duobus modis tibi satisfaciam, uno modo, argentũ viuum per se est penetrabile; altero modo, quod id euenire potest à frictione. Præterea, quod quemadmodum argentum viuum sublimatum est calidum per sublimationem, id aliquo modo calor partis efficere potest, ut idoneum, ac aptum efficiat ipsum penetrationi, etiam si frigidi est condẽsari: id semper non est verum; quia acetum penetrat, nixq; sua frigiditate aquam, & si calidum refrigerat per aliquod temporis spatium: ergo non est inconueniens, inesse penetrationem, simulq; à virtute cælesti facultatem destruẽdi luem Gallicã, quia tale; ea de causa argẽtum viuum dictum, quod excidat materias, in quibus iniicitur, & liquidum quia fluidum. Quæ omnia bene D. Isidorus, lib. 15. ethymologiarum cap. 19. & subdit iste sanctus; Seruatur autem melius in vitreis vasculis, nã cæteras materias perforat, potui autem datum interficit, põderis causa, quod proprium est veneni frigidi, mortem inducerẽ qũantitatẽ, calidi vero qualitate; ut refert Galenus 3. simpliciũ, cap. 19. his verbis; Eorum ergo medicamentorum, quę frigore interimunt, nullum genere lethale est sed sola quantitate, quę vero calida sunt, & tota essentia nobis contraria, so la qualitate mortem afferunt; ut ipse Galenus, 5. simplicium, cap. 19. subscriptum reliquit. Sed venenum, quod quantitate enecat; ut argentum viuum, ex eo cognoueris, si sanguinem cordis coagulatum inueneris, ut Galenus docet, & Petrus de Albano, libello de venenis, cap. 2. de unoquoque veneno in speciali, ubi dicit; Argentum viuum frigidum natura quidem, quia in ventre terrę generatur, & horum unum est argẽtum viuum, quod intus

intus assumtum quęcunque interficit sua humiditate putrefaciente humiditatem cordis naturalem, quando autem interficit sua frigiditate actuali congelante cor, ut historia illius pharmacopolæ manifestat, qui nocte, ipso sitiente, inuenit vas plenum argēto viuo, quod bibit; qui mane mortuus inuentus est, & prospicientes medici mortuum, mortisq; causam inuenerunt argentum viuum exire de podice, dissecatoq; fere libram argenti vivi repertam fuisse ejus ventriculo, & sanguis cordis apparuit coagulatus, & ipsum cor similiter. Corroboratur hæc historia hoc, vel simili argumento; Frigidi est condensare, & frigidissimi, quam pro natura est, coagulare, pręcipue illud, quod est in loco calidissimo; nil in corpore animalis calidius corde, hoc sine controuersia verum est: ergo bene sequitur illud, quod sanguinē ventriculorum cordis potuit refrigerare, & coagulare, calidum non erat, imo frigidum, & maxime etiam frigidum, ut fuit argentum viuum naturale potatum à Seplasiario relato in historia. Nescio quid cōtra hanc veram historiā potest mihi objici, ut conuincar? Nonnulli enim dicunt, argentum viuum mouere sudorem, ut quotidiana experiētia constat in omnibus inunctis. Iis facilis erit responsio, sudorem manasse ex illis, non ratione argenti viui, sed ratione illarum rerum ingredientium in Mercuriatā unctionem, quæ tales sunt; oleum rutaceum, laurinum, dialtea, teriaca, quæ cum calida sunt, tenuiumq; partium, penetrant ab exterioribus ad interiora, sic mouent sudorem, quanquā permixta non essent argento viuo. Sed ista simplicia medicamēta levarent dolores, ratione sudoris moti ab eorum qualitate, sed simul frictione ipsum Gallicum morbum non extirpassent, ut argentum vivum facit, quia tali à sua cæle-

sti

ſti virtute talis vis inſita eſt. Et ſi maiora ſcire deſiderat ob tui ingenij acumen, argentum viuum eſſe animatum methaphorice, quod ſic appellat tractatus Chemiæ, in Apologia Chryſopœiæ, fol. 39. ex illo loco intelliges, quid ſit argentum viuum animatum; nondumq; ultimã manum imponere volumus huic probationi.

Sed ulterius procedamus dicẽdo; Argentum viuum eſſe frigidum velut ab aqua coagulata, & concreta, ſed aqua eſt frigida, & humida in quarto: ergo & argẽtum viuum. Et quod ſit argentum viuum actu frigidum, & humidum, patet, quia magis fluit quam aqua; idẽ tenet Mathiolus, qui in pręfatione, lib. 6. ſuper Dioſcoridem de lethalibus venenis, quę ex exceſſu qualitatum elemẽtorum, quarum mixtione conſtant, ſic ait; Ex hoc itaq; aperte oſtenditur, reperiri venena tanta humiditate exuberantia, ut homines interimere poſsint, ut potequæ membra putrida efficiunt, ſicut argentum viuum, quod ſua humiditate modum excedente, inſitum cordis natura humidum ſæpe corrumpit, ut quotidie videmus in his, qui eo unguentis excepto ſe inungunt ad luem Gallicam delendam, in quibus pręterquã quod ſemper gingiuas, dentes, palatum, aliaſq; vicinas partes putredine afficit: unde ulcera oris in unctis fiunt non à calore, ſed à ſuperflua humiditate argenti viui, & à ſuperante temperamento. Sępe enim ubi uberius, quam par ſit, inunctum fuerit, eos in pernitiem ducit, quippequod uniuerſo ſanguini putredinem inferat, idque extrinſecus dumtaxat adhibitum, quanquam & id ipſum intus aſſumtum occidit, ſi modum quendam exceſſerint, ſiquidem præ nimia ſui frigiditate vitales ſpiritus, cordiſq; ſubſtantiã congelat, & ulterius cap. 28. ejuſdem libri loquens de argẽti viui pernitiali natura ſic ait; Putrefacit enim hoc

ſuo

fuo exuperante temperamēto innatum cordis humorē, ac subinde congelat sanguinē, vitales spiritus, & ipsam deniq; cordis substantiā, quandoquidem id medicis experientia compertum est, ut in historia relata illius pharmacopolæ. Quo argumento palam fit, magno admodum excessu frigidum esse argentum viuum: ab effectu cognosces illud, nam in regione Aphrica, ob maximum æstum, naturales, seu incolæ, ut quiescat facultas animalis, ratione cujus fit somnus, solent utres replere, & intus ponere aliquam quātitatem argenti viui: & sic utres reddunt valde frigidos, somnum ut inducant, ut refert Falopius. Assigno præterea aliā rationem suæ frigiditatis, & signum certissimum cognoscendi locum, seu fodinam argenti viui; ubi enim sunt syluę, prataq;, in quibus nascuntur arbores semper virentes, non producentes aliquem fructum ob argenti viui virus, ac vaporem venenatum aduersantem generationi, si in plantis id fit, in corporibus humanis quid fiet? In hujusmodi enim locis argentum viuum producentibus est aquarum multitudo: ergo bene sequitur, quod simile simile quęrit. Iterum ab effectu intelligi potest, argētum viuum esse summe frigidum, & humidum, quia fossores argenti viui vix tertium annū excedunt in tali opere sine surditate, vel epilepsia, vel malo habitu, vel paralysi, apoplegiaq;. Hęc relata, fiūt ab humore frigido, & humido, ergo ab argento viuo tanquā à causa frigida, & humida.

Joan. Fernelius de lue Venerea ad me diū. §. ad hæc. arbores ad fodinas argenti viui tardi mul to quam alijs in locis folia emutūt, & vix ūquā flores edunt.

Tandē non desunt garruli, qui instāt esse calidum ob ulcera, quæ fiunt in ore, lingua, palato: sed illis duobus modis satisfaciā. Primo, ulcera oris nō à siccitate, sed ab humiditate putrefaciente argenti viui euenire. Secundo modo ab humore Gallico faciēte talē morbum, qui malignus cum sit, corrodit, & exulcerat illas partes

 oris,

oris, tq̃uam partes laxas, recipientes totã corporis molem: igitur argentum viuum minerale, quo utimur in unctionibus; est frigidum. & humidum. Constat idem etiam, quod tactum, miram frigiditatem mẽbris infert, eaq; stuporem, ac paralisim adducat. Et qui contẽdunt, esse calidum ob penetrationem, quæ conspicitur adeo, ut incisa eorum, qui semel, aut iterum ex morbo Venereo exancti fuerunt, argentum viuum emanasse conspectum sit, quod ego fieri crediderim, nõ ex insita, aut genuina caliditate, sed quod rebus quibusdam urẽtibus, vel extinguatur, vel admisceatur, quibus retundi solet, ac hebetari frigida, humidaq; qualitas, atq; ignea quædam qualitas, ut clarius nos docet Leuinius Lẽnius, lib. 2. de occultis naturę miracnlis, cap. 35. de vi prodigiosa argenti viui, quod facillime accõmodatur illis rebus, quibus miscetur, ut facit aqua. Et Lacuna Segouiensis scriptum reliquit, lib. 5. super cap. 79. Dioscoridis, fol. 541. & concludit dicens; veram qualitatem argenti viui esse frigidam, & humidam in quarto, & quod sit maxime penetrabile cum rebus admixtis, quarum causa acquirit caliditatem, & permeat ossa, neruos, membranas, ubi solo relicto, ac deserto ab alienis qualitatibus, quæ ipsum reliquerunt; & reductum ad suam natiuam qualitatẽ, dissipatis alienis aduentitijs, plurimorum frigidorum morborum est causa, quia non potest occultari, quod naturale est, ut Horatius in Epistolis elegantissime, venustissimeq; dixit.

Naturam expellas, furca tamen usque recurret.

Pindarus etiam in Olimpijs, hymno 13.

Amaxon de crupsæ tò syggenees ecthos.

Id est, impossibile est, occultare ingenitos mores.

Et

Et in eodem opere, hymno 11.

Emphues out æthoon aloo peex,
Out eribromoi leontes
Dialla xainto eethos.

Id eſt, ſiquidem natura inſitos, nec ardens vulpes, nec graviter rugientes leones mutauerint mores. Idque quod naturale eſt, quibuſcumque rebus miſceatur, ſem per ſuā ſeruat naturam. Et contingit argento viuo per mixto qualitatibus calidis, quod Felli mutatæ à Venere in pulcherrimam virginem, quæ cum adfuiſſet ſolemni tati nuptiarum, proculq; vidiſſet murem, maxima celeritate eum perſecuta eſt non mutata natura, nam quod a natura eſt, non transmutatur. Si frigidum, ac ſiccum eſſet argentum viuum, ut Amatus tenet, potius neruos conſeruaret, quam labefactaret, qui non conſeruantur, ſed potius paralyſi corripiuntur, idq; euenire credimus ob ſuam ſuperfluam humiditatem, & frigiditatē, & non à ſiccitate, ut Amatus intendebat; quam opinionem po tius abijciendam, quam defendendam arbitramur. Et cum Fernelio lib. de lue Venerea, cap. 7. poſt medium fol. 62. finem imponamus, dicente; Sed rem in hydrargyro admiratione dignam, à nullo (quod ſciam) animaduerſam, contemplemur. Hic enim ſi quis rerum euentus bene obſeruet, non modo pituitoſis morbis ob noxia noſtra reddit corpora, parteſq; omnes, imprimis carnoſas ſuo frigore, & humore lædit, verum ita labefa ctat, & ſua qualitate imbuit, ut vix corpus febri corripi poſsit, etiam ſi multa ſcateat cacochymia. Hæc habui, ut tibi morem gererem, & ut intelligas, quod ſemper tuo obſequio adſum, adfui, & uſq; adero; Aveto.

LAVS DEO.

YO e visto esta question de el temperamento del Azogue por el Doctor Iuan de Sosa, i està mui doctamente disputada, i sera mui vtil, i prouechoso, que se imprima. Fecho en Sevilla a veintiquatro de Mayo de mil i seiscientos i cinco años.

El Doctor Saavedra.